

180

*Ab 60*

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

13

De Græcis, Physicorum primis  
inventoribus.

Ut Examen discipulorum indicaret suorum  
d. 14. Mart. 1796. h. 9. antem. habendum,  
scripsit

C. F. R. Vetterlein, Reet.

---

Cothenis, impressit Schændorf.

Lectiones:

1. Cicero. 2. Horatius. 3. Livius. 4. Xenophontis Cyropaedia. 5. Ernesti Initia doctr. sol. 6. Geographia, cet.

Orationes habebunt:

1. Christ. Bramigk. 2. Aug. Behr. 3. Dav. Rindfleisch. 4. Godofr. Schneider. 5. Jo-nath. Rindfleisch. 6. Guil. Heinrich; — & primus quidem, secundus, tertius & quartus a se ipsis elaboratas.

---

**P**hilosophos Græcos neque Physicorum tam  
ignaros fuisse, ut vulgo putant, monu-  
menta literarum antiqua satis declarant. Hu-  
jus rei nonnulla collegimus specimina, de qui-  
bus nunc breviter simpliciterque ad lectors re-  
feremus. Per *Physica* vero hoc quidem loco  
intelligi volumus, cum recentioribus, rationem  
explicationemque corporum, & inter Antiquos  
potissimum Stoicorum afferemus sententias.

*Terram esse sphæram, suis ponderibus li-*  
bratam, omnibus ejus partibus in medium s.  
centrum vergentibus, constans Veterum erat  
opinio. Justam igitur habuisse eos *gravitatis*  
notionem, simul ex his appareat, neque dicere  
dubitabant, exstare a parte terræ contraria ho-  
mines, qui adversis vestigijs stent contra nostra  
vesti-

vestigia, sive Antipodas. v. Cic. Nat. D. II.  
38. 45. Quæst. Acad. iv. 39.

Forma etiam & delineatio *globi*, qua hodie in geographicis utuntur mathematici, debetur Stoicorum solertiæ. Descriperunt enim cœlum in quinque circulos & zonas, duas nempe frigidas, totidem moderatas, unamque calidam. Hos circulos appellabant parallelos, addebantque Zodiacum, linea circulari obliqua illos transeuntem & intersecantem. V. Diog. Laert. p. 817. 818. Edit. Longolii.

Licet *globi terrestris externi* minus perfectam haberent delineationem, America insulisque australibus nondum repertis, at philosophorum Græcorum conjectura quasi prævertit tempora. Cicero, probe ab illis eruditus, Europam, Asiam & Africam magnam *insulam* esse dicit, a Latinis orbis terrarum vocatam; putatque, homines esse in aliis quoque partibus terrarum, ab hujusceterræ sive insulæ continuatione distantium. Præter cognitas igitur sibi terras sive firmas

firmas sive continuas, conjecterunt unam alteramve existare debere, nondum repertam, eorumque vestigia in novis insulis reperiendis, potuit sequutus esse Columbus, qui veterum libros legisse dicitur. v. Cic. Nat. D. II. 66.

Ignem circa medium terrarum situm s. *ignem centralem*, permultis Recentiorum vehementer probatum, statuerat jam Philolaus Pythagoreus. Falluntur enim, qui eum de motu terræ circa solem putant esse loquutum. v. Plutarch. de placit. phil. III. 11.

Terram moveri circa centrum, ut rota circum axem, primi Heraclides Ponticus & Elephantus statuisse videntur. Quam rationem alii deinde perfecerunt, addita altera orbis terrarum conversione, quæ est circa solem. Cleanthes enim Samius, & aliquando post, Hicetas Syracusanus acute viderunt, omnium, quæ in celo sunt, rationem facilissime reddi posse, si statueris, cœlum stare, terram vero evolvi, suoque cursu circulum describere obliquum, ita quidem ut simul circa solem, & circum axem se conver-

tat

tat & torqueat. v. Plutarch. de placit. III. 13.  
& de facie in orbe Lunæ; Cic. Quæst Acad.  
IV. 39.

*Stellarum* duo faciebant genera, unum fixarum, alterum errantium; & fixarum quidem in cœlo situm, & tempora, quibus solent oriri & occidere, accuratissime observata tenebant. Errantium vero s. planetarum, et si aliter, ut nunc fit, numerum constituerent septenarium, quod solem lunamque iis addere, terram autem excludere solebant; attamen regiones cursusque eorum rite explicabant, nec male judicabant de earundem magnitudine & natura.

Solis magnitudine superari terram, Stoici hisce ex rationibus colligebant: 1. quia tota ab eo illustratur terra, & ubivis in ea cernitur; in toto puta ejus hæmisphærio. (Nam cum terra sit globosa, in duobus ejus punctis, sibi ita oppositis ut oram circuli terrestris attingant, sol conspici non posset, ob convexam terræ figuram, nisi multis partibus esset major.) 2. Quia terra umbram habet coni similem. (Nam umbra

umbra terræ in lunæ defientis superficie con-specta, segmentum est circuli minoris, quam orbis est lunaris. Cum igitur constet, lunam esse terra minorem, sequitur, umbram terrestrem referre conum, cuius apex vergat in cœlum. Sol igitur est lumen terra majus.) Diog. Laert. p. 806.

Planetas esse terras, huic quam incolimus terræ, non absimiles, multi philosophorum veterum conjectaverunt. Habitari dicebat Xeno-phanes in luna, eamque multos habere montes, multas fortasse & urbes. Cic, Quæst. Acad. iv. 39. — Planetas terrestris sive mortalis esse naturæ, putabant veteres, fixas vero stellas, igneæ & immortalis. Cometas stellas esse, non semper apparentes, sed definito quodam tem-pore, certisque periodis orientes & redeuntes, Pythagoreorum aliorumque erat sententia. v. Plut, de placit. III. 2. — Democritus viam, quam dicunt *lacceani*, fulgorem ait esse multarum & vicinarum stellarum, lumen suum in unum quasi confundentium. Ibid. III. 1.

Sic

Sic igitur informato mundi quasi systemate ad varia & utilia progressi sunt inventa. Cognitis enim siderum cursibus, accurata certaque ratione potuerunt perscribere tempora & veram anni colligere mensuram. Circuitus enim solis orbium 365, quarta fere diei parte addita, confidere dicebant annum. (Cic. Nat. D. II. 19.) — Et cum systema illud Astrorum, physicorum solertia adumbratum, haud immerito admirarentur, conati sunt, *machinatione quadam id imitari*, mundumque artificiosum, quem *sphaeram* vocabant, construxerunt, cuius conversiones idem in sole planetisque efficiebant, quod in ipso efficitur cœlo. Molitus erat talem machinam Archimedes, vir in mechanicis divinus, & ætate Ciceronis effecit talem Posidonius. (Cic. Nat. D. II. 34.)

Jam minus mirum videbitur, etiam *horologia* Antiquis inventa fuisse, non dico clepsydras, sed quæ per machinam quandam distribuunt & indicant horas. Locus Ciceronis (Nat. Deor. II. 38.) planissime id indicat. Cum *machinga*.

*chinatione quadam, inquit, moveri aliquid vide-  
mus, ut sphæram, ut horas &c.*

Veniamus a mundi terrarumque universitate ad certa phænomenorum genera. Meteorologica sic fere explicarunt veteres ut physici recentiores, qui ipsi in his ultra quandam verisimilitudinem progredi non potuerunt. Ratio nubium, pluviae, nivis, grandinis, tauricis, halonum, similiumque rerum naturalium, in aere nasci solitarum, & ab aliis & a Stoicis sat probabilis redditur. (v. Diog. Laert. l. vii, Plut. de placit. passim; Aristot. problemata; Senec. Quæst. nat. &c.) — Ut paucorum modo mentionem faciamus, *terrae motus* e. g. fieri putabant, aqua subterranea evaporascente & erumpente. Plut. de plac. III. 15.

Lunam in causa esse fluxus & refluxus maritimi Veterum plurimi censem; acutissime Seleucus Mathematicus eos a conversionibus terræ & lunæ, sibi quasi oppositis, repetebat; vortices enim utriusque corporis cœlestis a se invicem impelli; quo facto, spiritum inter u-

trum-

trumque commoveri attrahique, & maria flu-  
tuare. Plut. de plac. III. 15.

Oriri in aere quasi flumen putabat Anaxi-  
mander, quando a solis ardore particulæ aeris  
calefiant & extenuentur; & hocce flumen esse  
*ventum.* v. Plut. de placit. III. 7. Diog. Laert.

II. 3.

Diligentissimi & laboriosissimi fuerunt Ve-  
teres in explicanda visus & auditus ratione, nec  
multum inferiores recentioribus fuisse videntur  
cum in opticis tum in dioptricis. *Audiri ali-*  
*quid* dicebant, cum aér a re quadam sic impel-  
latur ut  $\sigma\varphi\alpha\iota\gamma\mu\omega\varsigma$  f. orbiculariter verberetur  
donec in aurem pertingat, h. e. sonos effici of-  
cillationibus aëris aliis per alias impulsis & con-  
tinuatis. (Diog. Laert. p. 820. Plut. de plac. p.  
93. Ed. Beck.) *Colores* Zeno esse dicebat  $\pi\zeta\omega-$   
 $\tau\varsigma\varsigma \sigma\chi\eta\mu\alpha\iota\sigma\mu\varsigma \tau\eta\varsigma \bar{\nu}\lambda\varsigma$  (ursprüngliche La-  
ge der Materie;) a quo non multum discrepa-  
bant Pythagorei, qui varietatem colorum ab e-  
lementis varie commixtis repetebant. (Plut. de  
plac.

plac. I. 15.) — *Iridem* effici repercussis in nubibus solis radiis censemabant Veteres fere omnes; vaporum, e quibus nubes constant, congeriem speculum quasi esse convexum, figuramque habere partis e pila sectæ. Plut. de plac. p. 67. Senecæ Quæst. nat. I. 3.

Fulmen vero ita explicarunt veteres, ut ignis sive vis electrica iis non prorsus ignota fuisse videatur. Neque in promtu est, dicere, utrum ille, de quo tam multi sunt, spiritus ætherius, scilicet *πνευμα*, quod tanquam quartum in natura elementum, toto mundo, omnibusque ejus partibus inesse putabant, idque verissime, a vi electrica genere suo differat, an hæc solummodo illius sit forma & modus. In fulmine igitur explicando nequaquam somniarunt Veteres de sulphure nescio quo, in nubibus inflamato, ut ante nostram ætatem physici faciebant fere omnes, sed cum pars ætheris, inquietunt, qui causa est caloris, inciderit naturæ aeriae, quæ frigida est, oboritur pugna & conflitus

fluctus contrariarum naturarum; & tum excutitur ignis, quem fulmen vocant. Inesse autem æthera censebant vesiculis vaporum, qui efficiunt nubes; quibus vento vehementer commotis & contritis, & gigni ignem & summa celeritate in alia transire corpora. V. Plutarch. de pl. p. 65. 66. Diog. Laert. p. 816. Senec. Quæst. nat. l. II.

Neque in fulmine explicando solum, sed etiam alio quodam invento Franklinum Græci antecesserunt. Quam enim vir ille præclarus detexit vim *olei* in aquam undasque maris, ea Græcis non fuit ignota. Docet id locus quidam Plutarchi, quo dicit, fluctus maris oleo infuso frangi, minusque reddi infestos,



AB 155562



Sb.

N





13

um primis.

licaret suorum  
n. habendum,

Reft.

endorf.

B.I.G.

